

Cum igitur tanta sit præstantia & utilitas huius artis, digna omnino est cuius patrocinium magni principes, & alij uiri sapientia & uirtute præstantes suscipiant, & in qua liberalia ingenia se occupent & exerceant. Non is sum, ut de dignitate huius artis mihi iudicium sumā, tantum hoc fateor, me eam semper amasse plurimum, & educatum inter Musicos Illustrissimi Principis Ducis Saxonie, à prima ætate me in ea exercuisse, præcipuas etiam Flandriæ urbes peragrare me non piguit, ut ipsos artifices audirem, & ab eis discerem.

Has autem cantiones composui, non in hoc ut ederentur, sed ut & me ipsum exercerem hoc studio, quo maxime delector, & amicis quibusdam gratificarer. Sed plurimi honesti uiri, quorū iudicia merito magni facio, omnino censuerunt eas pluribus communicandas esse: Et, cum illustrissima Celsitudo tua, inter reliquas curas administrandæ Reipub. etiam tutelam artium liberalium, & præcipue Musicæ complectatur, & iam chorum Musicum instauret, hortatores mihi fuerunt, ut eas sub tuæ illustrissimæ Celsitudinis auspicio ederem, ac T. C. collegio Musicorum quasi consecrarem. Etsi autem meo me pede metiebar, & satis intelligebam, me non esse eum, qui aliquid dignum tanto Principe componere possem, tamen uicit tandem eorum opinio. Tibi igitur illustrissime Princeps has cantiones dedico, & inscribo, precorq; uehementer, ut T. I. C. eas pro sua Clementia, animo placido accipere uelit. Quod si fiet, ut spero, addet mihi T. I. C. calcar, ut diligentius hæc studia colam, & aliquando elaboratius aliquid edam. Bene & fœliciter ualeat tua Celsitudo.

Tuæ Illustriss. C. addictissi.

Jacobus Meilandus.

A 3

In